



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Fides, Spes, Charitas. Virg. & Mart. 1. Augusti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

## A U G U S T U S.

### S. FIDES, SPES, CHARITAS. Virg. & Mart.

i. Augusti.

*Sobrij simus, induti Loricam fidei,  
Et charitatis, Et galeam, spem  
Salutis.* Thess. Epist. I. cap. 5. v. 8.

Felix Roma, cui, quas nullus unquam  
pingere satis bellè pictor potuit, vivas  
spectare virtutes licuit, FIDEM in quam SPEM  
& CHARITATEM SOPHIA filias, Charitum  
Christianarum ipsissimam trigam. Ex his ma-  
xima XII. altera X. natu minima IX. omnes  
paucos annos, sed plurimas palmas nume-  
rant. Ecce enim virtuti, ut solet, Tyrannus  
bellum movet, sed matre duce & junctis co-  
piis omnes vincunt. Igitur duello singulas  
agredi Urbi præfектus statuit, & primò qui-  
dem Fidem. Contra hanc flagris pugnat, at  
tergum pro scuto objicit Fides. Sartaginem  
admovet ardentem ille, hæc ridet arietem.  
Ubera resecat gladius? gaudet fides ostentare

hæc

hæc cœlo vulnera. Caput rescinditur, & corona scilicet. Ergo Spem aggreditur torpor, & nervos in virginem armat, at his ipsis fortior puella est. Jubetur proin ignis sævere: sed ad Virginem hic deficit, & in hostes ipsius pugnat, pice ardentis & bitumine perfunditur; nempe ad novam luctam inungitur. In hac sororis mortuæ amplexibus inhærens, ense vincit etiam ipsa, dum cadit ente. Jamque ad tertiam gradum facit Tyrannus bis victus; suspenditur Charitas ab equuleo, laniatur flagris. Sed ne audacter ivisse in hostem credas, noveris in rogam suapte sponte insiliisse terebra post perfossum & gladio cæsam. Porro mater magnanima Sophia, quæ & filias præsentia suâ & sese filiarum virtute hucusque animaverat, triduo post interficia sua funus etiam ipsa deprehenditur. Sed tamen ne tu, ne luctu credas hoc factum Romæ. Hanc enim ego, vel nullam aliam Matronam gaudio emori potuisse Livio credam. *Ex Surio.*

## M E D I T A T I O.

*De Fide, Spe, Charitate.*

1. **S**obri simus induiti loricam fidei. Thess. c. i. v. 8, ad resistendum scilicet igneis suggestionum diaboli inquit Hyero, Plerique Christianorum non credunt, vel

vel si credunt stultissimi sunt, quia vitam vivunt fidei contraria. Quid dices si plus exigetur abs te, quia plus, quam alii, accepisti? quanta dona in baptismo; quantas gratias actuales? quam salubria edoctus es? *Omnino nihil prodest habere nomen Sanctum sine moribus.* Salvian. & S. Cyprian. *verè Christianus non dicitur, nisi qui Christo prout valet moribus coequatur.*

2. Et Charitatis &c. Fides operatur per Charitatem, Gal. 5. si linguis hominum loquaris, aut Angelorum, si facultates tuas dederis pauperibus, si fidem habueris ut montes transferas, si dederis corpus tuum ut ardeat, teste Apostolo, & charitatem non habueris, nihil tibi profundt omnia. Charitatis autem radix est gratia. Igitur conare, ut opera tua procedant *ex corde puro & conscientia bona, & fide non facta.* 1. ad Tim. 1.

3. Et Galeam spem salutis quia Spes communis caput; id est cogitationes fines, & intentiones, operum. Spes facit ut ad Deum referamus omnia cogitata, dicta & facta nostra. Ut resistamus diabolo, ut aggrediamur ardua, roborati ad omnia dura, vel suscipienda cum Sanctis, vel toleranda. *Vivere verè mortalium, Spes est vita immortalis:* Aug. in ps. 3.

## S. THEODOTE cum FILIIS. MM.

2. Augusti,

*Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vita, qua nunc est & futurae.* Paul. 1, ad Tim. c. 4. Nu-